

BALTVS GOT HORVM REX.



**B**althus siue Galthus pre mortuo Amalo in regno successit. Hic tot præclara facinora edit, ut eius imperium non breuem historiam, sed aliquot libros contineret, si fidelis antiquitas eius gesta ad posteritatis notitiā trāsimisisset. Eius tempore, anno mūndi 16.0. inter Gothos seditio orta est. Itaque Gepidæ ab ipsis discedere coacti, sibi nouas sedes quæsiuerunt, in eo loco q[uod] hodie Vualachia dicit. In ijs locis adeò inualuere, ut postea Vuādalis & Gothis formidini esse cœperint. Ex hoc Balto nobilis familia Baltorum longo & splendido successionis ordine profluxit, quæ etiamnum apud Septentrionales Gothos & Sueones illustris habetur. Iuan. Mag. Hist. Goth. lib. 1. cap. 19.